ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Quas a te litteras, Vir Clarissime, cum adiecto
poëmate sane perelegante ad me missas paucis
Traiecti Collegis meis circa Nonas Apriles perlegere
iucundum fuit: eas postea principibus e Societate
nostra viris per provinciam ostendere illis aeque
ac mihi longe fuit iucundissimum. Viderunt, prae
alios plures, ij fere omnes quos Sarbievij vel ad-
miratores vel depraedicatores typis Plantinianis
nuper vulgavit Moretus: eorum non nemo ar-
repto calamo paraeneticum tibi carmen meditaba-
tur, cum quod ex me propediem futurum intelle-
xit, vatemque differre maluit, quoad poëmatis
tuis magnam partem auctis novam lucem gratu-
lari possit. Caeterum gaudeo quod ab homine Re-
ligioso solemniter paupertatem professo munera
accepteris: facis id et pro humanitate tua, et pro
rationibus conditionis nostrae perspicacissime
a te cognitis. Sed illud ex aequo vicissim mihi
dolet quod libellum eumque tantillum, qua vel
adolescentes in scholis in diligentiae praemium, vel
alios quosvis in amicitiae symbolum non infrequen-
ter impertimus, munera voces. Recte profecto olim

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boddeus) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/780

magnus ille Petrus Richardotus, libellulos et
alia Religiosorum vel ex horto nata, vel propriis
manibus confecta munerum nomine negabat
benigne. atque ita nec libellulo qualis est hic
a nostro recens in lucem editus, nec nucibus
aut pomis ex horto nostro si foret occasio, ad
te subinde mittendis; nec flosculis aliquot, quos
in tabellas iussu R.P. Provincialis Praepositi
vivis coloribus depictos artifex socii nostri manus
tibi apparat offensum iri existimo te, etiamsi
quod non semel cum egregia tui commendatione
ad me retulerunt viri, ab omni munere manus
tuas professa libertate abstineas. Porrò aliud
est de quo te nec sine fiducia interpellem.
Rogat R.P. Praepositus noster Provincialis, et ego
cum eo quam possum enixe precibus, ut postquam
expirabit tempus litterarum publicarum, quas tunc
annitente te pro sua in itineribus securitate im-
petraverat, eandem et modo gratiam uti in
formula adiecta subiicio, in alios sex menses
aut diutius si fieri possit, ab Excel.mo Domino

Principe obtinendam tibi iterum acceptam debeat.
Ita et tuo quo omnibus gratificari cupis genio
indulgebis, et Societati nostrae occasionem desiderandae
rium, quo pridem testari vult quam grato animo
benevolentiam in te suam recolat, et quanti eam
faciat. Vale, Vir Clarissime, et te sincere a-
mantem et colentem, ut antehac fecisti, redama.
Traiecti. X. Kal: Jun: 1633.

Ampl:[mae] D. V.

Servus in Christo
Joan: Baptista Boddens

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boddeus) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/780

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boddeus) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/780